

* Supp.
27. 8.

taris eminebant. Ipsum autem altare * non erat solidum, sed cavum ex tabulis, & intus vacuum.

8 Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.

9 Fecit & atrium in cuius australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum,

10 Columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

11 Æque ad septentrionalem plagam tentoria, columnæ, basesque & capita columnarum ejusdem mensuræ, & operis ac metalli erant,

12 In ea vero plaga, quæ ad Occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

13 Porro contra orientem quinquaginta cubitorum paravit tentoria:

14 E quibus, quindecim cubitos columnarum trium, cum basibus suis unum tenebat latus:

15 Et in parte altera (quia inter utraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & bases totidem.

16 Cuncta atrii tentoria bysso retorta texerat.

17 Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argentea: sed & ipsas columnas atrii vestivit argento.

18 Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo vero quinque cubitorum erat juxta mensuram, quam cuncta atrii tentoria habebant.

19 Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis: capitaque earum & cælaturæ argenteæ.

20 Paxillos quoque tabernaculi & atrii per gyrum fecit æneos.

21 Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moyfi in cæremoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron sacerdotis:

22

22 Quæ Beseleel filius Uri filii Hur de tribu Juda, Domino per Moysem jubente, compleverat,

23 Juncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan: qui & ipse artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo & bysso.

24 Omne aurum quod expensum est in opere Sanctuarii, & quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum ad mensuram Sanctuarii.

25 Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum a viginti annis & supra, de sexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta, armatorum.

26 Fuerunt præterea centum talenta argenti e quibus conflatae sunt bases Sanctuarii, & introitus ubi velum pendet.

27 Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis.

28 De mille autem septingentis, & septuaginta quinque fecit capita columnarum, quas & ipsas vestivit argento.

29 Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra sicli,

30 Ex quibus factæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, & altare æneum cum craticula sua, omniaque vasa quæ ad usum ejus pertinent,

31 Et bases atrii tam in circuitu quam in ingressu ejus, & paxilli tabernaculi atque atrii, per gyrum.

CAPUT XXXIX.

Pontificalia sacerdotaliaque consciuntur ornamenta, totumque injunctum opus perficitur: benedicit Moyses populo.

1 **D**E hyacintho vero & purpura, vermiculo ac bysso fecit vestes, quibus indueretur Aaron quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moyfi. Sup. 19.
6.

2 Fecit igitur superhumerales de auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta,

Tom. I,

N

3 Ope-

- 3 Opere polymitario: inciditque bracteas aureas, & extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine,
- 4 Duasque oras sibi invicem copulatas in utroque latere summatum.
- 5 Et balteum ex eisdem coloribus, sicut præceperat Dominus Moyfi.
- 6 Paravit & duos lapides onychinos, astrictos & inclusos auro, & sculptos arte gemmaria, nominibus filiorum Israel:
- 7 Posuitque eos in lateribus superhumeralis in monumentum filiorum Israel, sicut præceperat Dominus Moyfi.
- 8 Fecit & rationale opere polymito juxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta:
- 9 Quadrangulum, duplex, mensuræ palmi.
- 10 Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor, in primo veru erat sardius, topazius, smaragdus.
- 11 In secundo carbunculus, saphirus, & jaspis.
- 12 In tertio, ligurius, achates, & amethystus.
- 13 In quarto, chrysolitus, onychinus, & beryllus, circumdati & inclusi auro per ordines suos.
- 14 Ipsique lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel, singuli per nomina singulorum.
- 15 Fecerunt in rationali & catenulas sibi invicem cohærentes, de auro purissimo:
- 16 Et duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos posuerunt in utroque latere rationalis,
- 17 E quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant.
- 18 Hæc & ante & retro ita conveniebant sibi, ut superhumeralis & rationale mutuo nesterentur,
- 19 Stricta ad balteum & annulis fortius copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, & a se invicem moverentur, sicut præcepit Dominus Moyfi.
- 20 Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,
- 21 Et capitium in superiori parte contra medium,

- dium, oramque per gyrum capitii textilem:
- 22 Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta:
- 23 Et tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum:
- 24 Tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quando ministerio fungebatur, sicut præceperat Dominus Moyfi.
- 25 Fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron & filiis ejus:
- 26 Et mitras cum coronulis suis ex bysso:
- 27 Feminalia quoque linea, byssina:
- 28 Cingulum vero de bysso retorta, hyacintho purpura, ac vermiculo bis tincto arte plumaria, sicut præceperat Dominus Moyfi.
- 29 Fecerunt & laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini:
- 30 Et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Moyfi.
- 31 Perfectum est igitur omne opus tabernaculi & tecti testimonii: feceruntque filii Israel cuncta quæ præceperat Dominus Moyfi.
- 32 Et obtulerunt tabernaculum & tectum & universam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases,
- 33 Opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum de janthinis pellibus,
- 34 Velum, arcam, vectes, propitiatorium,
- 35 Mensam cum vasis suis & propositionis panibus:
- 36 Candelabrum, lucernas, & utensilia earum cum oleo:
- 37 Altare aureum, & unguentum, & thymiana ex aromatibus:
- 38 Et tentorium in introitu tabernaculi:
- 39 Altare æneum, retinaculum, vectes & vasa ejus omnia: labrum cum basi sua: tentoria atrii, & columnas cum basibus suis:
- 40 Tentorium in introitu atrii, funiculosque illius & paxillos. Nihil ex vasis desuit, quæ in mi-

ministerium tabernaculi, & in tectum fœderis iussa sunt fieri.

41 Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron scilicet & filii ejus,

42 Obtulerunt filii Israel, sicut præceperat Dominus.

43 Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

CAPUT XL.

Primo mense tabernaculum erigendum & consecrandum præcipitur; quo factò, majestate Dei repletur, nube tabernaculum continuo operiente, nisi dum esset proficiscendum.

1 **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2 Mense primo, prima die mensis, erige tabernaculum testimonii,

3 Et pones in eo arcam, demitteque ante illam velum:

4 Et illata mensa, pones super eam quæ rite præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis,

5 Et altare aureum in quo adolebitur incensum, coram arca testimonii. Tentorium in introitu tabernaculi pones,

6 Et ante illud altare holocausti:

7 Labrum inter altare & tabernaculum, quod implebis aqua.

8 Circumdabisque atrium tentoriis, & ingressum ejus.

9 Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur:

10 Altare holocausti & omnia vasa ejus:

11 Labrum cum basi sua: omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum.

12 Applicabisque Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aqua,

13 Indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.

14 Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus.

15 Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis, collocatum est tabernaculum.

16 * Erexitque Moyses illud, & posuit tabernaculum ac bases & vestes, statuitque columnas, ^{Num. 7. 1.}

17 Et expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat.

18 Posuit & testimonium in arca, subditis infra vestibus, & oraculum desuper.

19 Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appndit ante eam velum, ut expleret Domini iussionem.

20 Posuit & mensam in tabernaculo testimonii ad plagam Septentrionalem extra velum,

21 Ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moyfi.

22 Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte australi.

23 Locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini.

24 Posuit & altare aureum sub tecto testimonii contra velum,

25 Et adolevit super eo incensum aromatum, sicut iusserat Dominus Moyfi.

26 Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testimonii,

27 Et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum, & sacrificia, ut Dominus imperaverat.

28 Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii & altare, implens illud aqua.

29 Laveruntque Moyses & Aaron ac filii ejus manus suas & pedes,

30 Cum ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moyfi.

31 Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris, ducto in introitu ejus tentorio. Postquam omnia perfecta sunt,

32 * Operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud. ^{Num. 9. 15. 3. Reg. 8. 10.}

33 Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat.

34 Si quando nubes tabernaculum deferebat, proficiscebantur filii Israel per turmas suas: